

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

Serenissimo principi, domino Joanni Friderico, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)



SERENISSIMO PRINCIPI,

DOMINO

JOANNI FRIDERICO,

MARCHIONI BRANDEBURGICO,
MAGDEBURGI, IN PRUSSIA, STETINI POMERANO-
RUM, CASSUBIORUM ET VANDALORUM, NEC NON IN SILESIA
CROSNÆ ET JÆGERNDORFII DUCI, BURGGRAVIO NO-
RIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADIENSI,
MINDÆ ET CAMINI, ETC.

DOMINO MEO CLE-
MENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS.

EDo in publicum sacras sacrorum & DEO devo-
torum hominum, magnorumque Divinæ ve-
) (2 ritatis

DEDICATIO.

ritatis testium RELIQUIAS. Non illas aut offeas, aut sanguineas, aut lacteas, quales hodie Ronrani basia-
tores, muscerdam scilicet pro pipere, osculantur & adorant, sed chartaceas, ejus tamen partis, quæ in sanctis illis optima nobilissimaq; fuerat, hoc est, animæ, earumque, quæ animæ insunt, facultatum, intellectus & voluntatis, quibus verè hominum natura constat & à bestiarum grege differt, genium, indolem, bonitatem & divinitatem referentes. EPI-
STOLAS nempe, doctissimorum quorumlibet & sanctissimorum à tempore reformationis virorum manu scriptas, inq; Bibliotheca MARBACHIANA, per integrum seculi decursum, religiosè conservatas. Edo verò eum in finem, ut tanquam SUPPLEMENTUM ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ, cognoscendis superioris ævi rebus in Ecclesia gestis & dijudicandis iis, quæ ab inquietæ mentis sectariis tum passim movebantur, fidei controversiis, inserviant. Nec enim quisquam à sanctis istis piisque animabus quicquam ad pompam fastumque, à quo & seculi genio toto pectore abhorruerunt, sed simplicem rerum seriem, cum veritate conjunctam, & incorruptum, quod ex Divini verbi intemerato sensu hauserunt, de religionis dogmatibus judicium, unicè expectet. Istum

Rhe-

DEDICATIO.

Rhetorum fucum, quo se plurimum semper gentilis
 superstitio jactavit, istam dicendi sublimitatem, quæ
 facundiam sermonis & dictionis elegantiam cordatæ
 rerum sinceritati præfert, Epistolicum hoc institutum,
 naturæ quadam tenuitate & ingenii inclinatione,
 ab omni paganæ sapientiæ fastu alienum, prorsus
 averfatur. Martyrum illorum manes violatum à se iri
 sciat, quisquis à simplicitate piorum affectuum ad re-
 quirendum ambitiosæ ostentationis apparatus
 mentem converterit. Nec enim Divos istos decuit
 sacra repurgatæ religionis & verenda, quæ prædica-
 bant, quæ tractabant, mysteria, profanâ temerare ma-
 nu, & assuere aliunde adscititium reb⁹ ornatum, quæ
 colorem, nisi quem intra se vivum habent, omnem
 respuunt. Alios remotum à DEO atq; à perfectæ sa-
 pientiæ rectitudine argumentum & diffusa in præsen-
 tis seculi spectaculis cum splendore quodam & ma-
 gnificentiâ ostentandis sollicitudo, à scribendi simpli-
 citate excludit, quos veri Numinis profunda ignoran-
 tia ipsarum rerum caligini longè latèque immerfit.
 Alii Divinæ religionis sensum humanarum traditio-
 num commentis inquinantes à rerum scribendarum
 veritate aberrant. Hi vel inanitate propositi vel mate-
 riæ, ad cujus commentationem animum adjecerunt,

DEDICATIO.

quadam jejunitate dejecti, ultra vanitatem, superstitioso vulgo propriam, ultra jactantiam, decipiendis nimium credulis aptam, ultra communes humani generis affectus, odium ac favorem, generosa pectora non exerunt; qui ut admirationem operibus suis concilient, ut gratiam apud lectores aucupentur, annos miraculis, eventus fabulis, negotia portentis distinguere, præcipuam instituti sui partem faciunt. Nostris illis familiaris ubiq; de DEO sermo, sed tamen ille ita sobrius, ita sanus, ita ad sacratissimi verbi normam exactus, ut superstitioni, quæ non mediocri veritatis impedimento ætatem superiorem fatigaverat, sub religionis specie veritatem mentitæ, bellum videatur indixisse. Nunquam illi candoris & cordatæ pietatis magistri loquaciores sunt, quam cum in seriam Divinæ providentiæ venerationem intenti Ecclesiæ fata vel intuentur vel ad ea stupent. Eluctabatur tum è diturna caprivate DEI civitas & jucundissimis incrementis non amplius se Germaniæ, sed orbi, quasi urbs supra montem posita, conspiciendam præbebat. Fremuere ex inferis venti, obluçtabatur surgenti ej9 magnitudini orcus, furoris sui spumam eructabat tenebrarum princeps. Ubi vi & impetu haud potuit, intra septa Christiani gregis progressus, amabilem concordiam

DEDICATIO.

diam excitatis intestinis diffidiis turbabat. Hinc sacra
 bella viris, ut hostem, vi & fraude grassantem, repri-
 merent, ut remp. Christi sanguine acquisitam sartam
 tectamque conservarent, ut concordia vinculum re-
 stituerent, ut Ecclesiam quotidianis incrementis au-
 gustiorem redderent. His recensendis, his simplici
 stylo prædicandis Theologorum illorum Epistolæ in-
 cumbunt. Nihil hac meditatione sanctius. Nihil
 harum rerum descriptione jucundius. Id in historiae
 studio ante cætera omnia, ut memoratu dignissi-
 mum, ita cognitu saluberrimum est. Ecclesiae enim
 Doctores non verbi tantum interpretes DEUS esse
 voluit, sed dispensatricis etiam omnium in terris pro-
 videntiae ministros, & veluti Divinos Historiogra-
 phos, qui voluntatem supremi rerum omnium gu-
 bernatoris, quatenus hominibus promulgata est, ex
 tenore doctrinae sanctioris agnoscant, quique populi
 sui fata gentium ac seculorum venerationi commen-
 dent. Id muneris sancti illi sic subeunt, ut ubique se-
 positis, quantum humanitatis conditio patitur, amo-
 ris atq; odii passionibus, & libere & simpliciter pro-
 nuncient, ut Divinissimam scripturam, tanquam cœ-
 lestis sapientiae regulam, ubiq; sequantur, ubiq; ado-
 rent, ut Divinae in Ecclesiam bonitatis argumenta non
) () (minus

DEDICATIO.

minus cupidè quam reverenter amplectantur. Sed de hoc EPISTOLICI operis instituto in Apparatu præfatus sum amplius, SERENISSIME PRINCEPS. Quod dum pro vetustissimo in Ecclesia more NOMINI TUO dico & consecro, metuo certè, ne temerarii facinoris à plurimis, etiam rectæ probæque mentis censoribus, coarguar. Quippe qui nec obscuri nominis mei, tenebrosus homuncio, nec connatæ mihi tenuitatis conscitus, adire non subverear PRINCIPEM, Regum Principumque maximorum progeniem, Avitarum virtutum imitatione & admirabili animi magnitudine summis Principibus nequaquam minorem. Erat hoc quibusdam olim gentibus in more positum, ut, qui Numinis apud ipsas in terris vices gerebant, augustissimis palatiis, tanquam cœlo cuidam inclusos ex promiscuo vulgarium hominum conspectu, ne Deorum majestas quotidianæ consuetudinis usu vilesceret, removerent. Ego verò nullo rubore suffusus, nullo perculsus timore, impunè in vultum TUUM, AUGUSTISSIME PRINCIPUM, cujus oculi Divinitate quadam radiant, prodeam? Hi dum in majestatem TUAM crimen me committere sanctâ sollicitudine prohibent, in generosam
augu-

DEDICATIO.

augustæ indolis TUÆ comitatem atque humanitatem iniquum me imprudenter jubent fieri & proinde majoris sceleris reum. Nec enim

quisquam amplius sub sole hoc nostro est, qui, quâ sis animi inusitatâ bonitate, quâ suavitate morum, ignoret; qui istam virtutum Tuarum eminentissimam, maximamque, non amet, non revereatur, quem in admirationem & quasi osculum benignitatis TUÆ non admittas, immò quem non pertrahas.

Undecennium est, ex quo matrimoniale fedus, quod cum incomparabili sexus sui gloria, PRINCIPE JOHANNA ELISABETHA BADENSI, quam DEUS amaverat, quam condecoraverat natura illustrissimis omnium virtutum ornamentis, quæ, dum viveret, TIBI DOMINE, in precio, nunc in cœlum, unde hauserat spiritum, recepta in honore atque memoria est, me sacra faciente confirmari, precesque pro incolumitate vestra, in publica, quæ CAROLOBURGI est, æde, inter orantium globos, inter applaudentium strepitus, inter concinentium densa agmina, fundi passus es.

))(2

Ex

DEDICATIO

Ex tam fortunato à bono Numine conjugio PRINCIPES Nominis TUI & quondam imperii Hæredes, spem patriæ VESTRÆ, quod opto, voveoq; , immortalẽ, nactus es, æterno vinculo DOMUM BRANDENBURGICAM, jam antea auspicato gloriosissimi PARENTIS TUI cum Fœminarum PRINCIPUM reginã, CHRISTINA, TUÆ quondam JOHANNÆ ELISABETHÆ sore, conjugio, BADENSI PRINCIPUM domui insertam, cum eadem conjuncturam. Illo tam arcto, nec ullo tempore, ullove casu divellendo, amicitia cum PRINCIPIBUS nostris nexu commotus, animum IISDEM intimã familiaritate immixtum, inque omnia officia prodigè effusum, & adversus nos, qui DOMUI BADENSI servitiis obnoxii sumus, incredibili humanitate & innumeris semper favoris TUI documentis quasi ebullientem explicuisti. Cum quatuor abhinc annis ad PRINCIPES TIBI affines inviseres, non dedignatus es, accedere ad solennem Disputationem, à me tum de carnis nostræ resurrectione, quã illa ex naturæ lumine innotescit, propositam. Cernere tum erat in publico Illustris Gymnasii nostri Auditorio Par PRINCIPUM inæstimabile; nominis augurio, ætatis vigore, animi magnitudine, virtutum profapia ipsorum dignissimarum majesta-

DEDICATIO

jestate, Fratres, JOANNEM FRIDERICUM BRAND-
 BURGICUM, & FRIDERICUM MAGNUM, BADEN-
 SEM, stipatos invicti animi HEROË & antiquæ forti-
 tudinis exemplo, COMITE STARENBERGIO, AU-
 GUSTI CÆSARIS NOSTRI CONSILIARIO, & Ca-
 stri Philippoburgici Governatore eminentissimo, &
 ingenti BARONUM EQUITUMQUE catervâ. Quid
 nobis animi fuisse putas, SERENISSIME DOMINE,
 qui vel docendæ hic juventuti, vel discendis bonis ar-
 tibus sumus destinati, cum facies vestras tam vividas,
 tam liberales, tam augustas intueremur? Cum tan-
 torum PATRONORUM favor tam suaviter, tam fa-
 miliariter Musis sese nostris dispensaret? Cum exem-
 pli vestri prærogativâ profligato studiorum contem-
 ptu, artium Doctores humanitate, cathedras splen-
 dore vestro eximie amplecteremini? Nemo erat, quin
 ad conatus, viribus suis superiores, manum esset ap-
 pliciturus, postquam vultus VESTRI mellitissimâ hu-
 manitate tam efficaciter nos invitastis, vel ut rectius
 dicam, necessitatem nobis imposuistis. Erit isthæc
 benevolentia vestrae profusissimè in nos effusa ma-
 gnitudo memori animo perpetuò reposita, nec com-
 mittemus, ut sive annales Scholæ hujus inclytæ, si-
 ve mentis nostræ, virtutibus VESTRIS devinctissi-

DEDICATIO.

mæ, pietas tanti beneficii unquam obliviscatur. Atque hujus ipsius nunc obsidem Librum hunc, meris illustrium Theologorum reliquiis refertum, TIBI offero, PRINCEPS PIE atque MAGNANIME. Non potest TIBI displicere sive argumenti sanctitas, qui religionis curam & Ecclesiarum patrocini-um in Principatu TUO, magnâ in DEUM pie-tate, magno ardore sustines, quæ imperii TUI præcipua pars est; sive scribentium simplicitas, qui Theologorum congressus naturæ TUÆ boni-tata amas, bonasque horas non rarò eorundem colloquiis impendis. DEO verò ita dicatus, ita devotus es, PRINCEPS OPTIME, ut eundem indefinente studio mediteris & gloriæ ejus promo-ventæ pectoris TUI studia atque conatus omnes quotidie inflammes. Ille itaque & TUA vicissim fata ita sapienter, ita feliciter disponit, ut ejus unius nutu, imperioque, quicquid ad fortunam TUAM vel conservandam in publicis periculis, vel amplificandam in rebus secundis geritur, dirigi omnes intelligant, quippe qui auxilii sui præsentiam neque unis neque obscuris pignoribus, ad ani-mi nostri sensum subinde insinuat. IS TIBI favcat, SERENISSIME PRINCEPS! Is provin-cias

DEDICATIO.

cias TŪAS æterno felicitatis complemento beet!
Is natam ex sanguine TŪO Imperii post TĒ obeun-
di spem conseruet & provehat! Is TĒ omni gratiæ
ac benedictionis Divinæ genere cumulatè & abun-
dantissimè perfundat!

SERENISSIMO NOMINI TŪO

Humillimè subjectissimèq; devotissimè

Jo. Fecht, Th. Lic.